



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Canon I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

IN CANONES DE JURE-PATRONATUS

Desumptos ex Concilio Tridentino.

COMMENTARIA.

PARS QUINTA.

CANON I.

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. VII. Cap. XIII.

PRæsentati, seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis Personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis Ecclesiastica Beneficia non instituantur, nec confirmantur, neque admittantur; etiam prætextu cujusvis Privilegii, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Præsentatis tamen electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium Studiorum exceptis.

COMMENTARIUM

EX hoc Canone sequens deducitur conclusio .

PRÆSENTATI AD QUÆCUNQUE BENEFICIA A PATRONIS ECCLESIASTICIS, NON DEBENT INSTITUI AB ORDINARIO, NISI PRIUS AB EO EXAMINENTUR; EXCEPTIS PRÆSENTATIS AB UNIVERSITATIBUS, SEU COLLEGIIS GENERALIUM STUDIORUM = Ità *Barbos. hic, & de offic. & potest. Episcopi alleg. 72. n. 176. & 117. Vivian. de Jurepat. part. 2. lib. 6. cap. 5. n. 129. Lambertin. de Jurepat. lib. 2. par. 1. quest. 11. art. 3. num. 1. & seqq. Gonzal. super regul. 8. gloss. 4. num. 84. & seqq. Garz. de Benefic. par. 9. cap. 3. n. 5. & 15. Franciscus Palma consult. 95. n. 14. Rota in Frisingen. Decanatus 27. Junii 1708. S. Clara, coram bo. me. Molines. Sacra Congregatio Concilii in Brixien. 20. Octobris 1592. lib. 7. D. pag. 72. Hoc idem statuitur ab eodem Concilio in cap. 9. sess. 25. de reform., de quo infra Can. XII.*

Ratio autem hujus conclusionis est, quia Episcopus in Beneficiis Patronalibus non habet liberam electionem Personæ sibi bene visæ, sed tenetur instituere ad præsentationem Patronorum, qui cum possint de facili errare in præsentando inhabiles, & indignos, ideo ante institutionem debet Præsentatos à Patronis examinare, nè præfigatur in his beneficiis indignus, aut minus idoneus.

Quoad hanc conclusionem sequentes examinantur casus .

ARGUMENTUM.

Præsentati ad Beneficia simplicia Jurispatronatus ante institutionem an examinari debeant ab Ordinariis Locorum sive sint Præsentati à Patronis Ecclesiasticis, sive à Laicis .

tos ad Beneficia simplicia etiam à Patronis laicis, esse examinandos .

10 Concilium Tridentinum in hoc Canone, & in cap. 9. sess. 25. comprehendit præsentatos à Patronis Laicis, & num. 12. 13. & 14.

11 Dispositio exprimens unum casum non excludit alium similem .

17 In Beneficiis Curatis requiritur examen rigorosum, & pro forma; etiam si Beneficia curata sint de Jurepatronatus laicali, ut num. 18.

20 Notoria idoneitas non eximit Promotum ad curam Animarum à speciali examine .

SUMMARIUM.

- 1 Inclusio unius est exclusio alterius .
- 2 Sacri Canones in materia jurispatronatus magis favent Laicis, quàm Ecclesiasticis .
- 3 Universitates inter corpora Ecclesiastica recensentur .
- 4 Referuntur Doctores, qui tuentur Canonem hunc loqui solum de præsentatis à Patronis Ecclesiasticis .
- 5 Concilium Tridentinum in hoc Canone an procedat solum quando præsentatio fit eorum aliis, quam Episcopo, seu quando institutio spectat ad inferiorem, & n. 15.
- 6 Præsentatus ad beneficia simplicia sive à Patrono Laico, sive à Patrono Ecclesiastico se subijcere tenetur ante institutionem examini proprii Episcopi, & n. 9. & 16. Et quare? Vide n. 7. Amplia, ut n. 19.
- 8 Referuntur Doctores sentientes Præsentatos

CASUS I.

Vacato quodam Beneficio simplici de Jurepatronatus Laicali fuit à Patrono ad illud præsentatus Clericus A; quaeritur an ad effectum obtinendi institutionem teneatur præfatus Clericus se subijcere examini Episcopi, & ab eo recipere approbationem .

Multæ quidem, & non spernendæ animadversiones suadent Clericum hunc se subijcere examini Episcopi minimè teneri; Etenim Canon supradictum non inducit necessitatem examinis in Præsentatis, & nominatis à Patronis Laicis, sed solum in Præsentatis à Patronis Ecclesiasticis; siquidem animadvertendo ad verba Concilii, istud optimè agnoscens præsentatio-

tionem fieri posse à Patronis tam Ecclesiasticis, quam Laicis, mentionem dumtaxat fecit de Præsentatis à Patronis Ecclesiasticis, ergo non potest extendi ad casum nostrum, in quo agitur de Præsentato à Patrono Laico, cum nostrum non sit legem, vel Canonem ultra casum suum extendere *argum. l. si vero §. De viro ff. solut. matrim. Fagnan. in cap. si quis de foro compet. n. 72.* immo illum excludit ex
 1 regula comuniter recepta, quod inclusio unius sit exclusio alterius; de qua *Text. in l. cum Prætor ff. de judic. cap. nonne bene dicimus de præsumpt. Surd. conf. 262. num. 14. Gob. consult. dec. 48. n. 29. Manic. de tacit. & ambig. lib. 5. tit. 7. n. 27. tom. 1.* Neque videri debet extranea, & repugnans hujusmodi differentia, quam facit idem Concilium inter præsentatum à Patrono Ecclesiastico, & præsentatum à Patrono Laico, dum nemini latet in hac
 2 materia jurispatronatus Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas magis favere Laicis, quàm Ecclesiasticis, ut præcipuè habemus in reservatione inducta ex regula nona Cancellariæ, quæ comprehendit solum Beneficia jurispatronatus Ecclesiastici, non autem Laicalis, ut patet, & probat *Gemin. in cap. unic. in fin. de jurepat. in 6. Covarr. practic. quest. cap. 36. sub n. 5. Gonzal. gloss. 18. num. 13. Rot. dec. 574. per tot. par. 1. divers.*
 Insuper Concilium in hoc Canone excipit Præsentatos ab Universitatibus, seu collegiis generalium studiorum, ibi = *Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum exceptis.* Exceptio hæc videtur ponere in claris, quod Concilium loquitur tantummodò de præsentatis, & nominatis ab Ecclesiasticis Personis; Uni-
 3 versitates enim inter corpora Ecclesiastica recensentur; Unde vidimus quod Innocentius Tertius in *cap. quamvis de Procurat.* Universitati Parisiensi concessit posse litigare per Procuratorem, non nisi quia juxta leges Gallicas non poterat quis per Procuratorem litigare, nisi gratiam à Rege obtinuisset, & Universitas Parisiensis, quæ erat Ecclesiastica, noluit hanc gratiam postulare à Cancellaria Regis, sed à Summo Pontifice, ut notavit *Jan. à Costa in Comment. ad cap. cum Martinus de consuet.* Põsito autem quod exceptio loqua-

Pars V.

tur de Personis Ecclesiasticis, de Personis etiam Ecclesiasticis regula loqui debebat, cum exceptio juxta vulgata jura debeat esse de regula.

4 Et ità in puncto interpretando præsentem Canonem docent *Spada conf. 76. n. final. tom. 2. Campanill. in divers. jur. Canon. rub. 5. cap. 3. n. 6. Massobr. in prax. habend. concurs. reg. 10. dub. 1. num. 2. Garz. de benef. par. 9. cap. 5. sub n. 9. ibi = solum loquitur in Præsentatis, seu electis, vel nominatis à Personis Ecclesiasticis = Salgad. de reg. protect. p. 3. cap. 9. num. 186., ibi = Qui Textus loquitur dumtaxat, ut vides in Electis, seu Præsentatis, aut nominatis ab Ecclesiasticis Personis ad simplicia Beneficia = Card. de Luc. in annot. ad Concil. Trident. disc. 11. n. 31., ibi = Ad alicujus Universitatis, vel corporis, aut respectivè Personæ Ecclesiasticæ nominationem, vel electionem conferendæ sint, quorum praxis nimis rara est in Italia, frequens autem in Hispania, præsertim in Diœcesi Calaguritana, & frequentior in Germania = Et quòd hæc sit differentia inter *cap. 18. sess. 24. de reform.*, de quo infra *Can. IX.* & hunc Canonem, quod illud loquatur de Ecclesiis Parochialibus, ad quas sive Laici, sive Ecclesiastici præsentent, & quod iste disponat de nominatis, sive electis à Personis Ecclesiasticis ad alia beneficia non curata, adnotavit *Pyringh. ad lib. 3. Decretal. tit. 38. de jurepat. sect. 5. §. 4. sub n. 132. in fin.*, ibi = *Ceterum ad Episcopum etiam pertinet examinare literaturam, mores, & vitam eorum qui præsentantur ad Ecclesias Parochiales à Patronis, sive Laicis, sive Ecclesiasticis per deputatos in Synodo examinatores, alioquin eorum institutio irrita est, juxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. de reform., & sess. 7. cap. 13. de reform. statuitur, ut præsentati, electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis Personis ad quævis Ecclesiastica Beneficia non instituuntur, nec confirmentur, nec admittantur nisi fuerint prius à Locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: præsentatis tamen, & electis seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum exceptis.**

5 Fortiùs animadvertendo, quod nos sumus in casu omisso per Concilium Tridentinum, quoniam istud in præsentem Canone loquitur de præsentatis coram aliis quàm Episcopo, seu quando institutio

K 2

spe-

spectat ad inferiorem; illa namque particula *A* ante verbum *quibusvis* mendosè legitur apposta in quam pluribus Codicibus, dum deest in codice Bibliothecæ Vaticanæ, ubi solum legitur = *Præsentati, seu electi, vel nominati quibusvis Ecclesiasticis Personis* = Igitur Concilium non comprehendit casum nostrum, in quo agitur de Præsentato coram Episcopo; seu quando institutio spectat ad Episcopum, non verò ad inferiorem; ut testatur, & tuetur *Fagnan. in cap. accepimus de etat. & qualit. n. 31.*, ibi = *Questio hæc discutienda est juxta terminos juris communis, nam Concilium d. cap. 13. loquitur in casu, quo præsentatio, electio, vel nominatio fit aliis, quàm Episcopo; & sic quando confirmatio, vel institutio ad alium, quàm Episcopum pertinet, secundum quem sensum abundat illa præpositio *A*, quæ ante verbum quibusvis, in aliquibus codicibus mendosè legitur impressa, quæ tamen non habetur in codice Bibliotheca Vaticana &c. Nos autem versamur in casu, quo Præsentatio, seu nominatio fit Episcopo, ad quem jus instituendi, seu confirmandi pertinet, qui casus à Concilio omittitur.*

6 At his non obstantibus censeo quemcumque Præsentatum sive à Patrono Ecclesiastico, sive à Patrono Laico ad beneficia simplicia teneri se subicere examini proprii Episcopi, qui nullum Præsentatum instituere debet nisi præcognita illius idoneitate tam circa mores, quàm circa doctrinam, & qualitates à Jure communi, aut ex lege foundationis requisitas; ita enim præscriptum fuit ab Innocentio Tertio *in cap. ad hæc de offic. Archidiacon.*, ubi Summus Pontifex disposuit neminem esse in Beneficiis præficiendum nisi priùs examinetur, ibi = *Ut qui beneficiis Ecclesiasticis præficiendi fuerint à suo priùs examinentur Archidiacono* = Et quidem

7 non solum ob rationem superiùs in Commentario perpensam, videlicet nè præfigatur in beneficiis indignus, vel minus idoneus; verùm etiam quia Beneficia, & Ecclesiæ se habent respectu Episcopi illius Diocesis, ubi sunt fundata, ad instar Filiarum; adeò ut sicuti Pater carnalis, quando vult propriæ Filiæ dare Sponsum debet examinare, & recognoscere qualitatem Sponsi; ita Pater Spiritualis, sive Episcopus antequam instituat præsentatum

in Beneficio inquirere debet de ejus qualitate; ut optimè consideravit quidam canonista relat. per *Gloss. in cap. si forte de elect. & electi potest. verb. scientia*, ibi = *Dicit Jo. ubi nil facere habeo cum homine, præsumere debeo illum dignum: sed ubi sibi dare volo filiam meam, idest Ecclesiam in Sponsam; debeo inquirere de dignitate Sponsi.*

8 Quam dispositionem dicti Summi Pontificis Canonistarum omnium Principis, non solum amplexi sunt antiqui Canonistæ præsertim *Anania in d. cap. ad hæc n. 1.*, ibi = *Nec ordinatio, nec beneficiorum collatio debet fieri, nisi præcedat diligens examinatio* = *Butrius n. 1.*, ibi = *Item examinatio promovendorum ad beneficia, qui primo examinantur ab ipsis* = Verùm etiam eam sequuti sunt prætereos in Commentario relatos, quam plurimi alii Doctores, & præcipuè *Abbas conf. 76. num. 2. lib. 2.*, ibi = *Præsentatio enim personalis non requiritur ad alium finem, nisi ut superior, qui habet instituere, possit illum examinare ad finem approbandi, vel reprobandi* = *Rebuff. in prax. benef. tit. de present. & instit. n. 10.*, ibi = *Non debet Episcopus recipere præsentatum ab uno, seu altero ante examinationem &c. alioquin damnationem sibi incurrit, & tenetur Ecclesiæ læsæ damnum sarcire &c. Sed quidam ex nostris carnales Episcopi Præsentatos sine examine recipiunt maximè cum à mulieribus præsentantur, & ad mulierum preces omnes passim recipiunt, sed vix illis cum rationem reddent* = *Card. Laurea in Epit. Canon. in verb. Beneficiati quoad examen*, ubi eam ampliat etiam si adesset contraria consuetudo, ibi = *Ad Beneficia præsentati à quocumque etiam à Legatis Papæ examinandi sunt ab ordinario de sufficientia, idoneitate &c. non obstante consuetudine contraria etiam ab immemorabili* = *Monacell. formul. legal. 1. tit. 15. n. 22. par. 2. Pignatell. consult. 82. num. 21. & seq. tom. 9. Rot. decis. 272. n. 3. par. 8. rec. Tondut. quest. benef. tom. 1. cap. 33. n. 14.*

9 Non obstat quod præfatus Canon loquatur solummodo de præsentatis à Personis Ecclesiasticis; Quoniam etiam per hypothèsim, admissa sententia *Fagnani in cap. accepimus de etat. & qualit. num. 31.* nimirum quod Concilium ibi non comprehendat præsentatum à Patrono Laico

coram Episcopo, sed quod iste casus omittatur à Concilio; non proinde sequitur quod præsentatus à Patrono Laico non debeat se subicere examini proprii Episcopi, quia licet iste casus omittatur à Concilio, semper tamen verum est quod remaneat sub dispositione juris communis; juxta quam, ut supra vidimus, necessarium est examen in quocunque præsentato; & tuetur idem *Fagnan. ubi supra n. 32.*

- 10 Sed re intrinsicè, & non in cortice verborum perpensa, revera Concilium comprehendit etiam casum præsentati à Patrono Laico coram Episcopo; Siquidem quamvis in hoc *Canone* loquatur de præsentatis à Personis Ecclesiasticis; tamen non loquitur de his taxativè ad excludendos præsentatos à Patronis Laicis, sed demonstrativè ad includendum casum magis dubitabilem; Etenim cum Personæ Ecclesiasticæ, maximè Nuncii Sedis Apostolicæ ob peritiam, quam habent SS. Canonum, præsumantur præsentare habiles, & idoneos, poterat dubitari an ab eis præsentati essent examinandi; & hoc non obstante noluit Concilium considerare eorum peritiæ, sed decrevit, ut præsentati ab illis subjicerentur examini priorum ordinariorum, à fortiori igitur dicendum est voluisse, ut examinarentur præsentati à Patronis Laicis, qui facile solent in hac materia errare præsentando minus idoneos, & in quibus non est tanta scientia SS. Canonum, quanta est in personis Ecclesiasticis, ut in terminis, quod dispositio exprimens unum casum non excludat, immo includat alium similem, & ex identitate, aut majoritate rationis annexum dixerunt *Alexand. conf. 75. n. 4. versic. & ibi dicit lib. 5. Menoch. conf. 197. n. 83. versic. non obstat primo. Barbof. axiom. 120. n. 12. & 16. Rot. decis. 2007. n. 16. cor. Coccin.*
- 12 Quod clarius declaravit idem met Concilium in *cap. 9. sess. 25. de reform.*, de quo infra *Can. XII.*, ubi examini ordinariorum subjecit quoscunque Præsentatos ad beneficia simplicia, nulla facta distinctioni inter præsentatos à Patronis Ecclesiasticis, & præsentatos à Patronis Laicis; dando facultatem Episcopis repellendi præsentatos à Patronis, si idonei reperti non fuerint, ibi = *Ad hæc liceat Episcopo*

præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere = quod fieri non posset, nisi Episcopus examinaret præsentatos à quibuscunque Patronis; cum absque examine reperiri, & recognosci non potest habitas, vel inhabilitas præsentati.

- 13 Quin urgeat responsio, quod Concilium in dicto *cap. 9.* relativè se habeat ad ea, quæ præcedenter statuerat ibi = *juxta alias statuta ab hac S. Synodo examinentur* = Bis autem in præcedentibus idem Concilium de examine disposuerat, primo videlicet in *cap. 13. sess. 7. de reform.*, & secundo in *cap. 18. sess. 24. de reform.* Hinc ergo fit, quod quando Concilium in *cap. 9.* se refert in hac materia examinis ad præcedentia statuta, talis relatio, quo ad beneficia simplicia erat directa, ad *cap. 13.*, & quo ad Parochiales ad *cap. 18.*, ut in puncto firmat *Rota dec. 10. num. 2. par. 2. divers. ibi = Quantum verò ad cap. 9. nec illud obstat quia licet loquatur generaliter de omnibus beneficiis Jurispatronatus, quatenus refert se ad alia statuta, relatio, quo ad beneficia de Jurepatronatus Curata, debet fieri ad cap. 18., quo verò ad beneficia patronata simplicia fieri debet ad cap. 13. sess. 7. de reform.* = Unde cum in *cap. 13.* Concilium solum loquatur de Præsentatis ad beneficia simplicia à Personis Ecclesiasticis, & in *cap. 18.* loquatur de Præsentatis ad beneficia Curata; sequitur, quod etiam in dicto *cap. 9.* comprehendat hujusmodi Præsentatos; non verò Præsentatos à Patronis Laicis.

- 14 Hujusmodi namque intelligentia est omnino insubsistens; etenim Concilium in dicto *cap. 9.* quando loquitur de Præsentatis coram Episcopo à Patronis in genere, nullam relationem facit ad præcedenter statuta; sed absolutè dicit, quod liceat Episcopo, Præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere; & consequenter absolutè de novo ibi decernit examen horum Præsentatorum; & solum relativè se habet ad præcedenter statuta, quando mentionem facit de Præsentatis coram Inferiore; seu quando institutio spectat ad Inferiorem ibi = *Quod si ad Inferiores Institutio pertineat, ab Episcopo tamen, juxta aliàs statuta ab hac S. Synodo examinentur.*

- 15 Denique subsistere non videtur, quod asseritur à *Fagnano* ubi supra in contrarium

rium relato §. *Fortius*, quod Concilium in hoc *Canone* loquatur in casu, quo præsentatio, aut nominatio fit aliis, quam Episcopo, ex eo, quod in nonnullis codicibus desit particula *A*; quasi quod hæc verba *quibusvis Ecclesiasticis Personis* sint in casu dativo, non in ablativo. Tum quia in omnibus ferè codicibus Concilii adest illa particula *A*; tum quia illi, in quibus deest, sunt mendosi; quod evidenter dignoscitur, ex quo in postrema parte hujus canonis subduntur, hæc alia verba = *Præsentatis tamen electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum exceptis* = Notanda est quippe illa particula *Ab*; cujus vigore sequitur, quod in prima parte hujus *Canonis*, in qua dicitur *Præsentati, seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis Personis, etiam, & Sedis Apostolicæ Nuntiis* nunquam possint stare hæc verba in dativo, sed in ablativo, etiam si per impossibile legerentur finè particula *A*. Et ita definitum fuit à S. Rota in sequenti decisione.

R. P. D. MOLINES DECANO

Frisingen. Decanatus.

Mercurii 27. Junii 1708.

Cum Martinus Constante præsentatus à Serenissimo Duce Baviaræ ad Decanatum Ecclesiæ Collegiæ B. Mariæ Monachii, Curam Animarum annexam habentem, reportasset à Capitulo institutionem sinè præcedenti examine, & approbatione Celsissimi, & Reverendissimi D. Episcopi, & Principis Frisingen. sui Ordinarii, is post paternas reiteratas monitiones, illi factas, ut eidem examini se subjiceret, eum semper renuentem vocavit in Judicium coram A. C. mediante Monitorio super observatione, & executione *cap. 9. sess. 25. de Reformat. Sac. Concilii Tridentini, & Bullæ sa. me. Gregorii XIII. la 18. in ordine, & sententiam per contradictas obtinuit, & in ejus sequelam litteras in forma expedivit.*

Habuit adversus hoc Judicium Martinus recursum ad Sanctissimum, eidem exponendo, quod justis detentus impedimentis coram A. C. comparere, suaque Jura deducere non valuerit: Qua de re

petiit, & obtinuit, causam huic Sac. Tribunali ex integro delegari, & bo. me. R. P. D. Muto committi. In cujus locum ego subrogatus dedi dubium = *An præsentatus ad Decanatum Ecclesiæ Collegiæ Beatae Mariæ Monachii teneatur se subjicere examini Reverendissimi D. Episcopi, & ab eo recipere approbationem in casu = quod hodie disputatum fuit affirmativè resolutum.*

16 Clara quippe, & rotunda est dispositio Sacri Concilii Tridentini in *cap. 13. sess. 7. de reform.* præcipiens, quod Præsentati, seu electi, vel nominati ad quævis Ecclesiastica Beneficia non confirmantur, vel admittantur etiam prætextu cujuslibet Privilegii, & consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati; Proindeque cum Ordinarius Martini sit Reverendissimus Episcopus, & Princeps Frisingen., palam est, quod ante institutionem ad prædictam dignitatem Decanalem oportebat illius examini se subjicere, & approbationem recipere, ut inhærendo dicto Sacri Concilii decreto, & Sacrorum Canonum censuræ tradunt *Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 2. num. 1., 2., & 3., & quest. 25. num. 52., & quest. 33. num. 69., Barbof. de offic. & potest. Episcop. allegat. 72. num 176. ubi alii concordantes.*

17 Et eo magis præcedere debebat dictum examen, quia Decanatus hujus Collegiæ habet annexam Curam Animarum totius Cleri ejusdem Ecclesiæ Collegiæ ex præscripto illius foundationis factæ à sa. me. Alexandro VI. data in *Summario num. 1. Reverendissimi Episcopi; In Beneficiis autem Curatis alio Sac. Concilio Tridentini decreto in dicto cap. 18. sess. 24. de Reformat., & speciali Constitut. 33. sa. me. Pii V. requiritur solemnè, & rigorosum examen, & quidem pro forma; adeò nec per Ordinarium remitti valeat, & ubi sinè illo sequeretur institutio, ea nullius efficacitæ, & valoris dijudicatur, perindè, ac si facta non esset, ex pluribus, quos referunt, & sequuntur *Garz. de benef. par. 9. cap. 2. nu. 19. Adden. ad Gregor. decis. 34. nu. 5., Barbof. de offic. & potest. Episcop. allegat. 72. nu. 120.**

Quæ quidem Conciliaris dispositio locum obtinet etiam si Beneficium Curatum effect

18 esset de Jurepatronatus laicali, qualis est controversus Decanatus, ut literaliter statuitur in dicto cap. 18. sess. 24. de reform. ex verbis ibi = *Quod si Jurepatronatus laicorum fuerit, debeat qui à Patrono presentatus erit ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit admitti* = & comprobant Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 6. à num. 34. ad 47. Rota coram Priol. decis. 2. num. 9. Prout etiam militat eadem Conciliaris-censura, tamen si institutio Beneficii Curati non spectaret ad Ordinarium, sed ad Collatorem inferiorem, quia adhuc iste instituere nequit ad ipsum Presentatum sine precedenti examine, & approbatione Episcopi, ut subdit decretum in dicto cap. 18. sess. 24. de reformat. ibi = *Cum verò Institutio ab alio, quam Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat dignitatem, quem Patronus ei presentet, ad quem Institutio spectat*; Id quod etiam præcipitur in Constitutione Gregorii XV. la 18., & tradunt Garz. de re benef. quest. 9. cap. 3. à nu. 5., Lotter. eodem tract. lib. 2. quest. 6. num. 33. Rot. cor. Ludov. decis. 34. nu. 7.

Nec probabile visum fuit. afs. Privilegium Pontificium à Martino (ut aiebant defensores Episcopi) vociferatum, quod scilicet Presentati ad Beneficia Patronalia Serenissimæ Domus Bavaricæ sint exempti ab onere, & servitute examinis Episcoporum. Donec enim sub oculis non subjicietur hujusmodi afs. prærogativa, inhærendum est decreto Sacri Concilii Tridentini in dicta session. 7. de reformat. cap. 13., in quo, ut præfertur nominati ad beneficia quæcunque subjiciuntur examini Ordinarii, non obstantibus quibuscunque Privilegiis; Sicque afs. Privilegium Domus Bavaricæ, quatenus adesset, ut efficax sit, continere deberet expressam derogationem huic Sac. Concilii Tridentini dispositioni, alterique loquenti de Beneficii Curatis in cap. 18. sess. 24. de reform. Quibus Papæ non solent derogare, & potissimè quoad Beneficia Curata, cum in Privilegiis exemptionum concessis Regularibus, aliisque Communitatibus Ecclesiasticis Cura Animarum, illiusque administratio nunquam ab Episcopis ablatæ fuerint, ut latè firmatum fuit in una Firmana Jurisdictionis 3. Martii 1703. per totam coram Me.

20 Postremò nec Martinus declinare vellet controversum examen sub obtentu, quod sit notoriè capax dictæ dignitatis utpotè licentiatu in Sacra Theologia, & alia vice ab Ordinario Frisingen. approbatus ad Curam Animarum; Quia notoria idoneitas non eximit Promotum ad Curam Animarum à speciali examine, quoties istud requiritur pro forma, nec examen expletum pro una Cura sufficit pro altera, ut testantes de communi tradunt Gonzalez ad regulam 8. Cancellaria gloss. 4. num. 101., Garz. de Benef. par. 9. cap. 2. num. 103., Ricc. in prax. for. Ecclesiast. decis. 414. par. 8. nu. 37., Vivian. de Jurepat. lib. 13. cap. 8. nu. 14., Adden. ad Buratt. decis. 34. nu. 50.

Et ita unica &c.

ARGUMENTUM.

An examen Præsentati ad beneficium simplex requiratur pro forma, ita ut si Præsentatus instituitur absque examine, Institutio sit nulla.

SUMMARIUM.

- 1 Verbum Examinentur, de sui natura inducit formam.
- 2 Forma defectus vitiat actum.
- 3 Examen Præsentati ad beneficium simplex coram Episcopo non requiritur pro forma.
- 4 Præsentatus ad beneficium simplex coram Episcopo si sit notoriè idoneus potest validè institui absque novo examine.
- 5 Examen, quando est de forma, non potest omitti, etiam si ageretur de notoriè idoneo.
- 6 In Præsentatis ad Parochiales; vel coram aliis, quam Episcopo, seu quando Institutio spectat ad Inferiorem, examen requiritur pro forma.
- 7 Cappellanus non tenetur ad applicationem Missæ, quando celebratio fuit demandata solum pro commodo, & satisfactione certarum Personarum.

CASUS II.

Agnosens quidam pius Testator homines cuiusdam Terræ tum ob penuriam Sacerdotum, tum ob difficultatem accedendi ad Ecclesiam Parochialem tempore hyberno, multoties, & præsertim diebus festiuis Sacrificio Missæ carere; pietate motus fundavit auctoritate Ordinarii in dicta Terra Cappellaniæ, seu Beneficium simplex; onere inuncto Cappellano celebrandi quotidie Missam pro eorundem hominum devotione, & commoditate. Vacata huiusmodi Cappellania, fuit ad illam Præsentatus, quidam Sacerdos idoneus, & notus Episcopo, qui illum instituit absque ullo prævio examine; ac ei inunxit etiam onus applicandi Missam pro anima Fundatoris, acriter renuente, & contradicente eodem Sacerdote; Quæritur proinde

Primo; *An huiusmodi institutio facta ab Episcopo absque ullo examine Præsentati sustineatur?*

Secundo; *An præfatus Cappellanus teneatur non solum ad celebrationem, sed etiam ad applicationem Missæ pro anima Fundatoris?*

Quo ad primum dicendum videtur sustineri non posse in hoc casu Institutionem factam ab Episcopo absque ullo examine Præsentati; quoniam examen tum quo ad mores, tum quo ad literaturam, & alias qualitates de jure communi, vel ex lege foundationis necessarias pro consecutione beneficii, antequam Præsentatus instituat, requiri videtur pro forma à Concilio Tridentino, non solum in hoc Canone, sed expressius in cap. 9. sess. 25., de quo infra Can. XII., dum Concilium ibi mandat Præsentatum examinari ab Episcopo per verbum illud imperativum *Examinentur* = quod de sui natura inducit formam sub poena nullitatis actus, & non sufficit, quod aliàs fuerit examinatus, & approbatus ab alio Ordinario, juxta *Massobr. in prax. haben. concurs. requisit. 10. dub. 1. num. 1.*, & *seqq.* ibi = *Dubitatur primo an examen requiratur in simplicibus beneficiis, breviter concludamus distinguendo, quod si beneficium est collativum, sive libera collationis, tunc sive collatio spectet ad Episcopum, sive etiam ad Inferiorem examen non*

esse necessarium &c. Si verò sit Juris patronatus, sive necessaria institutionis &c. tunc adeò necessarium est examen, ut se omittatur Institutio propterea sit penitus nulla = Barbof. ad Concil. sess. 25. cap. 9. num. 75. Vivian. de Jurepat. lib. 6. cap. 5. uu. 129. Pignatell. consult. 82. num. 22. tom. 9. ob quam rationem Præsentatum tenetur se personaliter exhibere intrà quadrimestre, aut semestre coram Episcopo, cum examen sit personale, & fieri non possit per Procuratorem, ut testatur Barbof. de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 72. num. 117. ibi = Melior ergo ratio est, quia Præsentati debent ab Ordinario examinari an sint idonei, tam in Parochialibus, & Curatis, quam in simplicibus ex Trident. sess. 7. de reform. cap. 13., quod examen cum personale sit, & per Procuratorem fieri non possit, necessario sequitur Præsentatos teneri se Episcopis personaliter exhibere = Monacell. formul. legal. 1. tit. 15. num. 22. par. 2. Ac proinde non servata hac forma, seu instituto præsentato ad beneficium simplex absque examine, institutio erit nulla; cum formæ defectus vitiet actum ad Text. in cap. Cum dilecta de rescript. ibique Felin. nu. 6., Bellett. disquisit. Cleric. par. 1. §. 4. num. 44.

2 *Sed his minimè attentis, contrarium cenfeo de Jure procedere? Etenim Concilium Tridentinum licet in hoc Canone, exigat examen in Præsentatis ad beneficia simplicia à quibuscunque Patronis coram Episcopo, seu quando Institutio etiam spectat ad Episcopum, tamen illud non exigit pro forma, adeò ut si omittatur ab Episcopo, Institutio sit nulla, dum ibi non apposuit Decretum irritans, & clausula annullativa prout requiritur ad effectum, ut examen dicatur de forma, juxta doctrinam Massobr. in prax. haben. concurs. requisit. 5. dub. 15. num. 3., & seqq. ibi = Concludamus quod examen tunc requiratur de forma, quando appositum est Decretum irritans, sive clausula annullativa &c. nam Decretum irritans, & clausula annullativa inducit formam = Bellett. disquisit. Clerical. par. 1. §. 4. num. 41.*

3 *Et quidem quod examen in hoc Canone non requiratur de forma, est ferè omnium Doctorum sententia, docent enim isti, quod Præsentatus coram Episcopo ad beneficium simplex si sit notoriè dignus, vel aliàs approbatus validè institui possit*

4

possit ab Episcopo finè examine, & quòd non sit de novo examinandus, ut tradunt *Fagnan. in cap. Accepimus de etat., & qualitat. num. 31.*, *Bellest. disquisit. Clerical. par. 1. S. 4. num. 43.*, *Monacell. formul. legal. 1. tit. 115. nu. 22. par. 2.*, *Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 72. num. 118. R.P.D. Ansalò. decis. 70. num. 6. tom. 1.* Si igitur Præsentatus coram Episcopo notoriè idoneus, vel aliàs approbatus institui potest absque novo examine, sequitur quòd idem examen in Præsentatis ad beneficia simplicia coram Episcopo non sit de forma, dum si esset de forma, non posset omitti, etiam si ageretur de notoriè idoneo, juxta *Garz. de benef. par. 9. cap. 3. num. 10. ibi* = Unde cum dicta examinatio, & approbatio requiratur pro forma, non poterit omitti, quantumvis Præsentatus sit notoriè idoneus = Et patet in Parochialibus, in quibus, quia examen est de forma, omitti non potest, etiam si Providendus sit notoriè dignus. *Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 31. nu. 134.*, *Nicol. resol. can. lib. 3. tit. 5. num. 17.*

6 Hinc non obstant quæ superiùs in contrarium objiciebantur, procedunt namque in Præsentatis ad Parochiales, vel in Præsentatis coram aliis, quàm Episcopo; seu quando institutio spectat ad Inferiorem; in his quippe examen requiritur pro forma, cum Concilium in *cap. 18. sess. 24.*, & *cap. 9. sess. 25.* mandet eos examinari, sub pœna nullitatis actus; ut de Præsentatis coram Inferiore præter auctoritates exadversò allatæ docent *Garz. de benef. par. 9. cap. 3. nu. 5. ibi* = Et si Institutio ad Inferiores Episcopo pertineat, Præsentati debent priùs ab Episcopo examinari, & approbari, aliàs institutio ab Inferioribus facta erit nulla = *Pax Jordan lucubrat. lib. 10. tit. 9. num. 26. ibi* = Imò si ad Inferiorem pertineat Institutio, examen erit de forma, & omnino necessarium, in summa igitur quando Præsentatio pertinet ad Personas Ecclesiasticas, vel mixtim ad ipsas, & ad seculares. Item quando Institutio spectat ad Inferiores Episcopo non solùm in Patronatu Ecclesiastico, vel mixto, sed etiam in Laica-

li requiritur pro forma examen Ordinarii aliàs collatio redditur nulla = Non verò procedunt in Præsentatis ad beneficia simplicia coram Ordinario, uti est casus noster, dum in his, ut vidimus non requiritur à Concilio in hoc Canone examen pro forma; sed si sint notoriè idonei, validè institui possunt ab Ordinario, absque alio examine.

7 Descendendo autem ad secundum dubium, facit pro applicatione, quod Missa sit applicanda pro Fundatore, licèt ipse applicationem non expresserit juxta auctoritates, & resolutiones Sac. Congregationis Concilii superiùs relatas *Par. II. Can. XXVII. Caf. XIII. num. 1.* Contrarium tamen in hoc casu verius existimo; ex verbis namque Fundatoris clarè apparet ipsum demandasse Missæ celebrationem pro devotione, & commoditate hominum cujusdam Terræ, ex quo sequitur præscripta celebratio, non verò applicatio, ut in terminis foundationis Cappellaniæ cum onere quotidianæ celebrationis quadam hora determinata, *accidò molti occupati da' negozj possino andare a sentirla, ed in specie li scolari, quando escono dalla scuola*: respondit S. Congregatio Concilii in *Collen. applicationis Sacrificii 17. Decembris 1679. lib. 40. Decret. fol. 4.* Et in terminis Cappellaniæ erectæ cum onere perpetuæ celebrationis Missæ, *all'ora, che dalla Dama Superiora del Monastero di S. Orsola gli sarà prescritta, e designata per il comodo delle sue Monache*: respondit eadem S. Congregatio in *Tricastinen. applicationis Sacrificii 8. Augusti 1711. lib. 61. Decret. fol. 332, & 358.*, & denique in terminis Cappellaniæ fundatæ cum onere celebrationis Missæ pro satisfactione, & comodo Monialium cujusdam Monasterii; novissimè resolutum fuit ab eadem S. Congregatione in *Mantuana Applicationis Sacrificii 19. Novembris 1718.* Et licèt quando demandatur celebratio Missæ regulariter intelligatur cum applicatione, hoc tamen limitatur, quando aliter constat de mente Fundatoris; ut dixi dicta *Part. II. ubi supra.*